



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Tertiò.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

est? Monachusque responderet, *generis fœ-*  
*minini.* Nempè, ridendo subintulit Princeps,  
 propter *genus fœmineum* venisti ad nos, apud  
 quos fœmineis tibi licet frui amplexibus. In  
 septentrionalibus partibus deprehendi varios  
 similis farinæ socios. Senex quidam ex nostris  
 multis ibidem annis Missionarius narravit mihi,  
 se cuidam Apostatæ exprobrâsse continuatam  
 per dies benè multos crapulam, eumque pro  
 responso dedisse, quòd id facere debeat, ne  
 sobrium vermis conscientiæ noctu diuque ni-  
 miùm arrodât. Ecce mi Domine inquieti sunt  
 à Catholica fide Apostatæ tam ratione relicti  
 Catholici dogmatis, quàm vitæ violatis votis  
 Deo factis sceleratæ. Quietè & solatio sunt  
 pleni ad Ecclesiam Christi postliminio reduces  
 omnes sive in hæresi educati, sive transfugæ, &  
 genuini ex post per Dei gratiam suamque coo-  
 perationem pœnitentes.

## Tertiò.

**D**Esunt Calvino signa immediatæ suæ à Deo  
 missionis ratione eminentis cujusdam san-  
 ctitatis, & virtutis à Deo datæ patrândi mira-  
 cula, dcest nervus ad ostendendum genuinum  
 Dei verbum ejusque sensum. Dcest doctrinæ,  
 ut infra ostendam magis, ingenuitas ac candor  
 ob eliminata bona opera &c. An ergò demum  
 majorem his non attentis S. Scripturæ intelli-  
 gentiam à Deo infusam præ tot sanctis Ecclesiæ  
 Doctoribus & Patribus, Conciliisque quatuor  
 pri-



primis & insequentibus œcumenicis, ei deferres mi Domine? equidem Subsect. 7<sup>imâ</sup> vides contrarium statui debere. Unum hîc superaddam, ex quo bonæ consequentur illationes. Calvinus cum placitis suis, quod nihil omninò boni in hominis sit voluntate, contrariari cerneret celebrem illum omnique pro humano genere solatio plenum Angelorum concentum, nocte quâ natus est Salvator noster, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Dicit in harmonia in cap. 2. Lucæ malè sic versum esse, & loco genitivi debere poni nominativum, & in terra pax hominibus beneplacitum sive bona voluntas. Nolim hîc ego eum arguere ob ambiguitatem horum verborum, & obscuritatem, quam è nebuloso Gebennensi lacu affundit textui aliàs clarissimo. Ipse Beza primarius ejus discipulus tam grossum sive malitiæ sive inscitæ bolum digetere non valens in idem cap. Lucæ redarguit Magistrum suum, dicitque: *Meus antiquus codex, sicut Origenis in Cap. 12. Lucæ, & Chrysostomus multis in locis, sicut & veteres interpretes loco nominativi Eudoxia ponunt genitivum Eudoxias.* Et Hebræis notum est, quod loco adjectivorum genitivi appellativorum poni soleant. Sic dicuntur filii promissionis & electionis, vasa ira, vasa misericordiæ, & sic hîc dicitur hominibus bonæ voluntatis. Usque huc Beza. Ex quo consequitur primò in aliis etiam versionibus & Scripturæ interpretationibus contra antiquam interpretationem ac versionem pugnantibus Calvinus,



[ qui absque eo tot Script. textus additione; demptione corrumpit, ut videre est in titulis de Eucharistia, bonis operibus, sacra Scriptura, Sacerdotio, &c. ] fidendum non esse, 2do. Quod quoad interpretationem Scripturæ non obstante, quod in Adversariorum principiis ea sit clara, nequidem ipsi sectæ Calvinisticæ primipili etiam quoad celebratiores textus, unde principales fidei controversiæ decidendæ sunt, conveniant. 3tio. Quod ergo præ Neotericis ab Ecclesia se separantibus, antiquasque hæreses recoquentibus amplectenda sit sacra Scripturæ versio ac interpretatio juxta communem unanimem & antiquam generalium Conciliorum & SS. PP. doctrinam juxta illud 2. Petr. 1. v. 20. & 21. *Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia Scriptura propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humanâ allata est aliquando, sed Spiritu S. inspirati locuti sunt Sancti Dei homines, & qui illam in utroque testamento nobis tradidêre, & qui in Conciliis generalibus legitimè congregatis ob promissam à Christo Ecclesiæ suæ Spiritûs S. assistentiam eam interpretati sunt.*

## Quarto.

**V**ertas te quocunque velis mi Domine, hoc vel illud verum esse Dei verbum, hanc non illam interpretationem esse legitimam, ut sæpè dixi, non inclamat tibi ipsa Scriptura. Cum ergo proportionatam sibi homines in communi  
hoc